

V c  
5293





B. M. H. 199.  
h. 52, 3.



*DISSERTATIO*  
**JURIS FEUDALIS**  
**TEUTONICI**

*DE*

**INVESTITURA**  
**PRINCIPUM IMPERII**  
**SIMULTANEA,**

*Speciatim*

*QUOAD*

**SUCCESSIONEM LAUEN-**  
**BURGICAM.**





DISSERTATIO JURIS  
FEUDALIS TEUTONICI

de

*Investitura Principum Im-  
perii Simultanea.*

CAP. I.

DE VERBORUM ET REI SIGNIFICATIONE.

§. I.

**V**estituram & investituram, item-  
que vestire & investire dixerunt veteres Fran-  
ci, Alamanni, Saxones, imò & Romani, tra-  
ditionem possessionis & translationem domi-  
nii. Barnab. Briffonius *lib. vi. de Formulis &*  
*Verbis Populi Romani solennibus pag. 501. de ædium venditione &*  
*traditione hanc exhibet clausulam: Tu Pascuti fuste illum inve-*  
*stito. Tu Segniti fustem manu capito.* Ludovicus I. Imp. Kapitula-  
ri l. anni 819. c. xx. *Si quis proprium nostrum, quod in vestitura Ge-*  
*nitoris nostri fuit, alicui quærenti sine nostra iussione reddiderit, aliud*  
*tantum nobis de suo proprio cum sua lege componat.* Quod & L. I. LL.  
Longob. l. 34. c. 3. legitur. Charta Alaman. vetus XLII. Cen-  
turix a Goldasto T. II. Rer. Alam. P. I. collectæ: *Dono vobis &*  
*servum meum nomine Hnidenus & uxorem ejus Bruna & cum oba sua,*  
*& cum omnia quo vestiti sunt: & alium servum meum nomine Vuolfha-*  
*rium cum uxore sua Arane, cum oba sua & cum omnia quo vestitus est.*  
Speciatim manum vestire dicebant, in manum tradere rem  
reive symbolum, cespitem, festucam vel quid aliud. Ejus-  
dem centurix charta LVIII. *Post meum verò discessum ipsas res ad*  
*Monasterium S. Galloni ad melioratas revertant absque ulla contradi-*  
*ctione, vel minuatione, MANU VESTITA partibus meis vel heredum*  
*meorum cum DEI gratia & nostram successionem possideant.* Lex  
Baiwariorum a Dagoberto Francorum Rege, an. 530. fir-  
mata

Vestitura  
Investitu-  
ra de re  
allod.

mata Tit. 17. c. 3. *Antecessores mei tenuerunt, & mihi in alodem reliquerunt, & vestita est illius manus cui tradidi.* Transiit hæc vox etiam ad Gothos, Saxones & Longobardos. Magis enim est, ut originem horum verborum ad linguam Romanam provincialem sive rusticam referamus, quam cum H. Grotio ad Teutonicam. Sic & vicissim, *devestire & revestire* dictum, pro de possessione dejicere, & in eandem restituere.

§. II.  
de re feud.

Itaque Obertus, Juris Feudalis Longobardici præcipuus sive Interpres sive compilator 2. F. 2. ait: *Investituram proprie dici possessionem.* Pùta pro subjecta materia & κατ' ἐξοχήν *rei feudalis.* Nativa verò Alamanorum & Saxonum vox qua possessionem exprimunt est *Wara Ware, Gewâr* / tam in allodiis quam feudalibus, unde Longobardorum *Guaranda.* Speciatim *Lehengewâr* est possessio Feudi, sed quandoque & titulum investituræ connotat, Jus Sax. Feud. c. XIII. *Des Lehn's gewer behelt er allein auff den Heiligen.* Pro eo habet Jus Alem. Feud. c. XI. *so behabe er sine Lehen gegen sine Herren mit sins eins Hant.* scilicet possidens de jure Feudali gaudet hoc beneficio ut titulum non teneatur probare per testes, aut Pares, sed solo tuo Juramento sese defendat, 1. F. 4. pr. Porro autem traditio possessionis ac domini duplex est, alia perfecta atque realis, alia minus perfecta & symbolica, quam *abusivam* vocat Obertus, nos *Die Belehnung* / actum investituræ solennem, illam verò *Die Gewâr* / h. e. immiſſionem in fundum vel rem feudalem. Nobis jam hujus vocabuli usus non est in priori significatione, sed in ea qua actum investiendi per symbola ac solennitatem aliquam denotat, quæ an commodè dicta sit *abusiva investitura* nunc non disputabimus, Vid. Illustris Camerae Imperialis Assessor Dn. de Eyben in *Elect. Jur. Feud. c. v. §. 8. sq.* Nobis hic sufficit investituræ definitio: *Collatio vel cessio domini utilis in feudo solennis & symbolica à domino directo facta vassallo.*

quæ  
duplex

abusivæ  
definitio

§. III.  
Symbolicæ  
effect.

Cæterum de hujus effectu quæstio est inter Interpretes quæ huc facit: utrum sit jus reale an tantum personalis actio? Atque verior est eorum sententia, qui ex hac symbolica traditione seu investitura etiam jus in re asserunt, h. e. domi-

dominium utile & jus vindicandi à quocunque. Rationem Rat. dub.  
dubitandi dissentientibus movit Jus Romanum, quod tra-  
ditione symbolica possessio ac dominium quidem acquiratur,  
sed tum demum, si *in re presenti* facta ea fuerit, ut habet  
Papinianus l. 74. de *contrah. empt.* & Paulus l. 1. §. 21. de *A. P.*  
Verum enim verò istud quidem verum fuit de extrajudiciali R. dec.  
& privata traditione, secus autem erat de eodem jure Roma-  
norum quoad *Cessionem in jure* sive traditionem symbolicam  
judiciale, id docet Ulpianus tit. XIX. §. 9. *In jure cessio com-*  
*munis alienatio est, & mancipi rerum & nec mancipi, quæ fit per tres*  
*personas, in jure cedentes, vindicantes, addicentes. In jure cedit do-*  
*minus; vindicat is cui ceditur: addicit Prætor.* Pariter ut in fidei  
commissis præcedebat *Missio in rem*, sequebatur ut *Missio in posses-*  
*ionem*: mitti verò in rem dicebatur fideicommissarius, quan-  
do dominus fidei commissi fiebat, postea possessor corpora-  
liter l. 1. l. 3. §. 2. C. *commun. legat.* Cl. Chifflet de *jure fideic.* Lib. 1.  
c. v. p. 236. Atque Justinianus traditionem ac dominii acqui-  
sitionem fundi *emphyteutici* etiam non in re presenti, sed sal-  
tem apud Magistrum Censuum aut Tabularios fieri permisit,  
l. f. C. de *jur. emphyteut.* Nec dissentit Jus Feudale Longobar-  
dorum 2. F. 8. *Rei autem per beneficium rectè investitæ Vasallus hanc ha-*  
*bet potestatem, ut tanquam Dominus possit à quolibet possidente sibi quasi*  
*vindicare.* Quam sententiam vetustissimus Interpretes Petrus  
de Bella Pertica Lib. de *Feudis* c. xxii. laudat; sed & sequenti  
capite formulam consuetam investiendi exhibet qua hæc  
clausula continetur: *Et de ipsis rebus tibi possessionem tradimus cor-*  
*poralem quam accipiendi facultatem liberam tibi damus.* Quo casu  
ipsi dissentientes assertionem nostram concedunt. Jus vero  
feudale Alamannicum cap. lxxv. clarè rem approbat: *Ist*  
*daß ein Mann dem andern gut uffgitt vor sine Herru / zu*  
*HANT so er das gut ENTPHOHET / so hett er vuch die gewer*  
*an dem gute die der erste Mann derane hette.* Et jus feudale  
Saxonicum Cap. xxxix. §. ult. *Ob ein Mann dem andern*  
*sein Gut aufflest vor seinem Herrn / zu Hant hatt dieser die*  
*gewehre an dem gute die des ersten Mannes war der es do*  
*uffliesse.*

§. IV.  
Invest.  
divisio.

- M**aximè quoque hoc in altera Investituræ specie cernitur, quæ **SIMULTANEA** appellatur, quam constat, & jus reale & jus fori tribuere, teste Carpzovio, *Proc. Civ.* 3. 50. *seqq.* Ad quam ut propius accedamus, sciendum est, ex Vasallorum numero investituram divisionem recipere. Namque cedit dominus directus dominium utile feudi aut uni vasallo, aut pluribus: hæc duplici modo aut uni simpliciter, & alteri sub conditione, si apertum feudum fuerit: quæ posterior *Expectativa* & **Das Gedinge/Anwartung** vocatur. aut utrique simul quæ *simultanea* dicitur **Gesambte hant** / quod *simultanea* manu comprehendant vexilla vel alia symbola per quæ investituræ fiunt, Itemque **Mitbelehnschaft**. Vicissim & plures domini directi conjuncta manu adhibita vexillum Vasallo tradere possunt, ut de Lothario Imp. & Innocentio Papa in conferendo Apuliæ Ducatu refert Otto Frising. *L. 7. c. 20.* sed ista iterum non unius est modi: namque ceditur dominium pluribus simul aut cum possessione aut sine ea: Porro *cum possessione* vel plena, etiam quoad fructuum perceptionem, vel minus plena: prior duplex, aut in solidum pro indiviso possident, aut pro diviso. Pro indiviso possident vel ab initio statim, de qua specie Jus Feudale Alem. **CLXV. Ein Herre mag viel Brudern ein Lehn liben daß sie es mit gesamter hant emphoben/ und geliche getwer daran hant.** **C. LXVIII. §. 3. Wo die Kint und der Vater eine gemeine und eine geliche getwer hant an eime gute und das miteinander entphangen hant.** Jus Sax. similiter **c. xxxii. & xxxv.** Quo & *Ganerbii* pertinent. Vel ex post facto & ex supervenienti, si prior possessor consentit, quo refertur textus *1. F. 3. ibi: nisi ille qui investituram acceperit, nomine ejus feudi in possessionem missus sit, eo consentiente qui detinet.* Pro diviso possidere incipiunt cohæredes facta divisione, sed & duo novum feudum acquirentes & dividentes, de quo habetur **2. F. 12. Si duo fratres de novo beneficio & non de paterno simul investiti fuerint, uno sine herede defuncto ad alterum non pertinet ejus beneficii portio nisi facta fuerit eo pacto investitura.** Minus plena cum possessione simul investiuntur, quoties unus ita possidet, ut solus fructus percipiat, alter vel cæteri præter con-



condominium utile, etiam possident: veluti cum neptes ex filio, patruo ita cedunt feudum paternum hereditarium, ut eo sine liberis masculis defuncto, ad illas hereditas feudalis paterna recidat, interim verò ipsæ simul investiuntur & immittuntur, **daß sie darin in gemeinschaft gesetzt werden / den Insas, darin erlangen** / ut habent formulæ investiturarum.

**A**Tque observatu dignum, Expectativam quandoque per pactiones alterari & de hac specie simultaneæ investituræ participare. Quum enim Expectativa à simultanea ita differat, quod per expectativam investituram dominium utile non statim, sed demum conditione existente cedatur: per simultaneam verò statim: fieri tamen potest, ut Expectativæ accedat pactum, quo possessio statim conceditur, sed salvo jure possessoris plenarii. Talismodi Expectantia concessa fuerat Domino Electori Brandenburgico in Archiepiscopatum Magdeburgensem si vacare contingerit, ut tamen interea Capitulum, Ordines & subditi statim eidem se sacramento fidelitatis & subjectionis in eventum obstringerent, *Instrum. Pac. Westph. Art. xi. §. 6. 7.* accedebat deinde etiam possessio per præsidium civitatis. Hoc loco nobis est tractatio de regulari ejus specie, quâ condominium ceditur convassallo sine possessione fructuumve perceptione: de cuius origine & progressu jam videamus.

§. V.  
Species mixta.

## CAP. II.

### DE ORIGINE REI AC PROGRESSU.

**O**Riginem suam Investitura simultanea, quam tractamus, ducit ex restricta admodum successione feudali, & transmissione feudorum, quippe quæ primò per specialem Principis concessionem impetranda erat, postea per constitutionem Conradi Salici Imp. ann. 1027. in expeditione Romana transmissio feudorum ad filios & nepotes prædefunctorum, jure ordinario fuit permissa. *I. F. I. §. 2. Lib. 3. LL. Longob. 1. 8. c. 4. Heroldus in Orig. ac Germ. antiq. libris p. 34.* Ut itaque ulteriores agnati multò magis extranei,

§. I.  
Origo ex successione feud. restricta.  
per Constit. Conradi Sal.

succe-

succederent in feudis, alio peculiari remedio opus erat, scilicet conventionem, qua futuræ successioni destinatus à possessore simul cum hoc eodem investiretur à domino, itaque condominium acquireretur, cujus vi postea etiam possessionem & omnimodam fructuum & commodorum perceptionem adipisceretur: id quod Investitura nostra simultanea revera est. Atque quum constitutio illa Imperialis omnia tria Regna, Germanicum, Italicum & Gallico-Belgicum obligaret, utique etiam viguit & observata fuit. De Germanico Regno nunc sumus occupati: quod quum dividatur in Saxoniam & Alamanniam seu Franciam orientalem, & utraque jure suo feudali gaudeat, utrobique etiam hoc juris reperitur.

§. II.  
J. Sax. **J**us Saxonicum feudale cap. XXI. ait: *Es vererbet niemant kein Lehn / denn allein der Vater auff den son. i. e. Nemo hæredat feudum, nisi pater in filium, ut habet Latinus interpres cap. XVI. §. 8. Cap. XXXII. Man mag viel Brudern ein gut leihen / ob sie es mit gesamter Hand emphohen / und gleiche gewehr daran haben. Wollen sie sich aber darnach scheiden mit dem gut / sie mögen es wohl theilen unter sich / one des Herrn willen / wie sie wollen. Wenn sie sich aber theilen / so hat ir keiner kein recht mehr an des andern theil / ob der ander stirbt: Im sey dann anderweit das Geding und die anwartung darangelieben.* Latinus Interpres Cap. XXI. §. 1. *Multis fratribus poterit Dominus solum feudum conferre, si compositis manibus hoc receperunt omnes simul. Si verò voluerint separari inter se, possunt feudum partiri absque domini voluntate. Cum autem fuerint separati, nullus eorum jus aliquod habet in bonis alterius fratris, nisi sibi feudum de futuro, secundo collatum.* In his textibus vocabula **Geding Anwartung** / *collatio de futuro, secundo repetita* non tantum Expectativam presse dictam, sed etiam Investituram simultaneam involvere, manifestum esse arbitror. Etsi inter utramque ea est differentia aliàs quod investitura simultanea renovationem requirit, Expectativa non item. Atque hic fundata est illa successio juris feudalis pactitia sive per *investituram simultaneam*, quæ hodiè *Saxonica κατ' ἐξοχήν* cluit.

Verum

**V**erum enim verò non eo sensu id recte intelligitur §. III.  
 quasi in sola Saxonia ea viguerit, sed imò quum ex le- J. Alcm.  
 ge universali Conradi Imp. ut antea dictum, oriatur,  
 etiam Alamannos & omnem Germaniam obligavit. Nec  
 dubitare nos ea de re finit ipsam Jus Feudale Alamannicum  
 cap. LXIII. §. 2. **Es erbet niemant lehn wenne der Vater uff**  
**den sun / das heisset Erbelehn.** i. e. *Nemo succedit in feudo nisi fi-*  
*lius patri: atque hoc vocatur feudum hereditarium.* alio scilicet sen-  
 su, quam aliàs hodiè communiter. Itemque cap. LXV. §. 1.  
**Ein Herre mag viel Brudern ein Leben liben das sie es mit**  
**gesamter hant entphoben und geliche getwer daran hant. Und**  
**wellent sie sich scheiden mit dem gute und teillent es unter sich /**  
**das tunt sie wol one des Herrn urlop: wenne sie aber das**  
**gut under sich geteillent / so het ir keinere nutz an des andern**  
**gute. Und stirbt ir einer one lehns erben / so ist sin teil dem**  
**Herrn ledig.** Ex quibus opidò patet nullam esse differenti-  
 am inter Jus Saxonicum feudale & Alamannicum, sed com-  
 muni jure feudali Germanorum agnatos & collaterales fu-  
 isse exclusos à successione feudali, secundum Constitutio-  
 nem Conradinam, & solâ pactitiâ seu simultanea investi-  
 tura consuli iis potuisse: quæ tamen subinde per mortes va-  
 falli vel domini itemque per divisiones *renovanda fuit*, quod  
**Folgethun** dicimus, & **an einen andern Herrn folgen** / quod  
 subinde occurrit in Jure Feudali Sax. & Alamannico. Conf.  
*Knich. de vest. pact. c. 1. 57. seq.*

**E**T quamvis in regno Longobardico postea agnati jure §. IV.  
 sanguinis ad successionem admissi fuerint: in regno ta- Invest.  
 men Germanico adhuc dum obtinuisse jus Conradinum lo- simult.  
 cuples & *αὐτόπλης* testis est Henricus Cardinalis Hostien- in Alcm.  
 sis qui circa annum 1255. in Interregno floruit, is in Com-  
 mentario ad tit. x. de Feudis fol. m. 269. b. hæc habet: *De consue-*  
*tudine Imperii non succedit nisi filius descendens. Imò reveritur feudum*  
*ad Imperatorem & ipse confert cui vult: sic vidi hoc quando fui in Ala-*  
*mannia per Proceres judicari.* Ubi nonnulli per Alamanniam  
 intelligunt Saxoniam, satis incongruè; quin rota Ger-  
 mania, etiam extra Saxoniam, & Comitum Imperii hic ve-  
 niunt, ubi Proceres & Status de Statuum feudis judicarunt.

Opus

Opus itaque utrobique fuit simultaneâ investitura Agnatis. Illustre exemplum hujus observantiæ suppeditat ad finem seculi xv. Illustris domus Lichtenbergica, quum enim anno 1471. Ludovicus Baro de Lichtenberg sine filiis, relictis filiabus decederet, cesserunt filia, alias in Feudo Metensi hæreditario successuræ, patruo feudalem dynastiam in favorem nominis & stemmatis Lichtenbergici reservata sibi successione in hæreditate feudali paterna, si Patruus sine liberis decesserit, sed & impetratâ quoque investitura simultanea & possessione sine fructum tamen perceptione. Sic enim tunc inter partes conventum: **Das wir dorin zu den obgenanten / Graf Jacoben in gemeinschaft gesetzt werden; solches sollen und wollen auch wir derselbe Graf Jacob verwilligen / fördern / und nicht hindern: doch uns Graf Jacoben / unsern Leibs Lehns Erben / oder Leibs Erben / ob wir die gewinnen und nach unsern todt lassen werden / unser Gerechtigkeit ganz ungeschädlich und unvorgreiflich und auch mit samlicher geding / daß wir unser lebtag in allen obgemelten der Herrschafft L. Städten &c. in geruligen besetz bleiben sollen &c.** Neque tantum hæc ita conventa tum fuerunt, sed & impetrata investitura simultanea à domino feudi, Episcopo Metensi, anno 1473. hac formulâ: **Haben wir für uns und alle unsere Nachkommen Bischoffen / erwelten und bestettigten / und Stifft zu Metz in der Gemeinschaft geliben und belehnt / liben und belehnen sie in und mit krafft dieses brieffs; vor sich / ihre gemelte ehelichen Gemahlen und ire Erben / was wir ihn daran verliehen konnene oder mügende / es sey von recht oder Gnaden / alle die Lehn so ihre Voreltern von unsern Vorfahrn und Stifft gehabt und gelehnt gewesen sind. Welcher lehn halb haben uns die Grafen vor sich und ihre Gemahlen jezund an einem gestabten Eyd leiblich zu Gott und den Heiligen gelobt und geschworen / uns und unsern Stifft getreu und Hold zu seint / und alles zu thuent / das sothane getreue Lehmanne iren Herren von recht gewohnheit verbunden und pflichtig seind / darzu wir sie gelassen / empfangen und verman-schaftt habent / doch ungeschädlich &c.** Has literas simultaneæ

neæ Investituræ sive *des Inſazes* / ſubſecutum fuit mandatum ejusdem Domini Feudi ad ſubditos Lichtenbergicos, ut poſt defunctum ſine liberis patrum, investitos ita agnoscerent *vor ire Erbherrn ſein und ſeines Stiffts Mann und Lehntäger.*

**E**Jusmodi exempla investituræ ſimultanæ inter Procures Imperii etiam extra Saxoniam, quum plura extare obſervarint Dd. crediderunt id ex ſpeciali cauſa & ad locupletandum ſiſcum fuiſſe peculiariter alicubi receptum, ignorantibus, hoc fuiſſe juris communis feudalibus per totam Germaniam. Sed & ſuperiori adhuc ſeculo extra Saxoniam inter Procures Imperii uſus ejus cernitur. Elector Palatinus Fridericus V. cum investituram ab Imperatore Maximiliano II. impetraret, ſimultanæ investituram concedi permittit Wolſgango Duci & Comiti Palatino ad Rhenum, cum clauſula quidem, ut nemini juri præjudicare deberet; uſus tamen ejus in agnatorum ſucceſſione in domibus Illuſtribus, etiam extra Saxoniam, inde cernitur. Inter Principes *Hæſſie* investituram ſimultanæ obtinere ex Actis ſucceſſionis Marpurg. apparet. Similiter inter Electorem Brandenburgicum & *Marchiones Brandeburgo-Culmbacenses & Onoldinos* eadem viget. Sed & in ipſo Instrumento Pacis Weſtphalicæ Rudolphinæ lineæ ſereniſſimæ Domus Palatinæ & Bavaricæ ſimultanæ investitura in ſucceſſionem lineæ Guilhelmianæ conceſſa: *Art. iv. §. 5. 9.* Atque in univerſum pleraſque omnes illuſtres domus Jus ſimultanæ Investituræ retinuiſſe haud temerè aſſeruit Ruſdorff. *in Vindic. Cauſ. Palat. c. xxii. 28.* & deſuetudo ab allegante probanda eſt.

§. V.

**Q**Uod verò ſupra ex cap. XLIII. Jur. F. Alam. fuit allatum de filio, ſuccedente patri, id utique etiam de nepote eſt intelligendum, tum per antea laudatam conſtitutionem Conradinam & ſecutum Lotharii Imp. Saxonis, l. F. 19. 20. tum per dicti Juris cap. LXV. §. 3. *Divile ſie aber das gut ungeteilet hant / ſtirbet ir einer / ſo tretent ſine Kindt an irs Vaters ſtat / und behaltent das gut gemeine das ir Vatter hat mit iren Vettern alle.* Et conſequenter ſi Fratres reliqui

§. VI.  
Extens. ad  
Nepotes.

B

etiam

etiam moriuntur, relictis liberis, patruales sunt successores: ulterius autem veteri jure non succedebatur, neque differentia erat inter feudum vetus & novum hactenus: idque omni jure, teste Gerharo Nigro l. F. 1. §. 4. *Hoc quoque sciendum est, quod beneficium hoc (succedendi in Feudo) ad venientes ex latere ultra fratres patruales non progreditur successione, secundum usum ab antiquis sapientibus constitutum.* Denique ex his apparet, nullam dum fuisse differentiam inter investituram simultaneam Saxoniam & aliam.

§. VII.

J. Longob.

**S**ed postea Gerhardi temporibus, in regno Longobardico extensio facta ad Agnatos, idque juxta jus Civile, ait: *Licet moderno tempore usque ad Septimum geniculum sit usurpatum.* Vixit autem Gerhardus in seculo XII. circa an. 1151, mox adhuc laxior extensio ibidem facta; unde adjicit utriusque & Gerhardi & Oberti compilator: *Quod in masculis descendantibus hodie novo jure usque in infinitum extenditur.* Quo jure igitur per agnationem solam a primo acquirente derivatam succeditur, eo amplius simultanea investitura opus haud erat; atque hoc in feudo antiquo, 2. F. 50. secus adhuc in feudo novo, etiam simul acquisito & diviso, neuter alteri succedit, nisi per pactum simultaneæ investituræ. Idem Gerhardus l. F. 8. §. ult. ait: *In alio vero feudo quod habuit initium tantum à fratribus, non succedit unus alteri, sive una investitura, sive duabus investituris: nisi hoc fuerit dictum expressim, ut alter alteri succedat, videlicet juxta Lotharii Imp. constitutionem l. F. 20. atque hæc est illa investitura simultanea, quæ jure feudalis communis solet appellari, adhuc reliqua; quæ verò renovatione non opus habet, ad vigorem suum retinendum; qua in re ab Expectativa hoc jure non differt, differt autem à simultanea Juris Saxonici quæ vocatur.*

### CAP. III.

#### DE JURIS FEUDALIS LONGOBARDICI SEU COMMUNIS RECEPTIONE.

§. I. J.F.  
comm.  
quando re-  
cept.

**J**us Feudale Longobardicum receptum fuisse in Germania, res aperta est, & tam fora, quam cathedræ id clamant, Quo verò tempore, & quatenus, non ita omnibus mani-

manifestum, H. Conringius *de orig. J. Germ. cap. xxxii.* fate-  
 tur jam tum seculo xiv. nonnullos in Germania Juris Justi-  
 nianei, cujus accessio, sub titulo collationis decimæ, Jus  
 Feudale Longobardicum reddita fuit, peritiâ valuisse, quum  
 & Leopoldus Episcopus Babenbergensis discipulus fuerit  
 Joh. Andreae Jcti Itali celeberrimi; & Academia Erfurtensi  
 an. 1388. facultas data a Pontifice Rom. docendi & Civile  
 jus & Canonicum: sed illa per quam tenuia fuisse initia:  
 primordia verò in seculum xv. rejicienda esse. Atque Ru-  
 pertum Electorem ad Rhenum an. 1346. ad huc tantum  
 Juris Canonici Professores in Academia Heidelbergensi  
 constituisse nullos Juris Civilis, teste Munstero L. V. *Geogr.*  
 Veruntamen sub Ruperti III. Imperio juris Feudalis Longo-  
 bardici usum in foro atque in Curia Imperiali allegatum fu-  
 isse cernere est ex Registro Imperiali illius Cæsaris, qui quum  
 plurimas Legitimationum literas ac diplomata petentibus  
 ab initio sui imperii usque ad obitum ejus concesserit, in iis-  
 dem, quæ anno imperii nono & decimo emanarunt, depre-  
 hendere licet §. *naturales. 2. F. 26.* allegari sub titulo *Collationis*  
*decimæ.* Diploma illud quum etiam alias observationes con-  
 tineat, nec editum extet, integrum adscribamus:

Litera Legitimationis Gerlaci Grans ad successionem eti-  
 am hæreditatis & bonorum feudalium.

§. II.

**R**upertus &c. dilecto ac fideli nostro Gerlaco nato Sy-  
 monis dicti Grans armigeri, fidelis nostri dilecti, Gra-  
 tiam nostram & omne bonum. Non sunt omninò ab Augu-  
 stæ liberalitatis gratia secludendi, quibus propriæ virtutis  
 merita suffragantur, licet conditiones eorum aliqualis ex  
 parentum actu descendens macula decolorer. Itaque præ-  
 fati Symonis genitoris tui multiplicatis obsequiis, ejusdem-  
 que & tuis supplicationibus nobis exhibitis inclinati, tecum  
 qui ex soluto & soluta genitus diceris, & quem novimus bo-  
 nis intendere moribus foreque bonæ indolis in futurum,  
 de plenitudine Regiæ potestatis, ex certa nostra scientia &  
 animo deliberato, super hujusmodi natalium defectum  
 misericorditer dispensamus, te habilitamus & ad legitima  
 jura

jura reducimus, per presentes Tibi ex uberioris dono gratiæ concedentes, ut defectu præfato non obstante, omnibus legitimis actibus, publicis & privatis officiis, juribus & honoribus ex nunc & in antea uti præesse perfrui ac potiri, nec non in bonis quibuscunque parentum, agnatorum cognatorum & quorumcunque aliorum etiam si feudalia sint ex testamento & ab intestato succedere valeas atque possis, Et insuper feudorum mediocrium te reddimus capacem quæ de voluntate dominorum a quibus derivantur poteris obtinere, Non obstantibus legibus statutis constitutionibus observantiis consuetudinibus Feudorum usibus scriptis & non scriptis & præsertim Capitulo *Naturales* in Rubrica *si de feudo controversia fuerit, collatione x.* in libro feudorum, aliisque iuribus generalibus provincialibus aut municipalibus quibuscunque. Quibus omnibus etiam si de ipsis aut aliquo eorum fieri deberet mentio specialis in hac parte, tenore præsentium derogamus, Harum sub nostræ Regiæ Majestatis sigilli appensi testimonio literarum, datum Heiberg anno Domini Millesimo *iiii.* octavo, quarta decima die mensis Septembris, Regni vero nostri anno nono. In simili forma Diploma datum Cunzmanno de Ettendorf nato Bernhaldi de Ettendorff militis domini in Hoenfels, Argent. Dioceseos, an. 1410. 12. Febr.

§. III.  
quatenus.

**A**T verò non obstante hoc, quod hætenus aliquo modo jus Longobardicum fuerit admissum, regulariter tamen etiam Sigismundi Imp. ætate secundum jus feudale Teutonicum pronunciatum fuisse, probat Decretum illius in causa duorum Principum Palatinorum Henrici & Ludovici Constantiæ an. 1417. editum; apud Goldast. P. 2. Reichsfatz. p. 99. *Hierauff war nach unserer Frag von den Fürsten allen einbelliglich zum rechten gesprochen: Nachdem / und wir hie in teutschen Landen [ aliud esset in Regno Longobardiæ & Italiæ ] zum rechten sessen / als ein Römischer König / und Herzog Ludwig und Herzog Heinrich / vorgeant beyde teutsche Fürsten weren / und zum Reich gehörenden und die sache teutsch / und umb des Reichs Leben were / die in teutschen Landen gelegen weren / und wir in bey-*  
Derseits



derseits ein Teutsch Recht mit Teutschen Fürsten besetzt het-  
ten / und beyde theil mit teutschen Fürsprechen fürgestan-  
den / und ihr sach nach teutschen Rechts gewonheit fürge-  
legt hetten / so sprechen sie zum Rechten : was jeglicher theil  
fürlegen wolte / es were Briefe / Wortte oder andere red-  
liche Kundschafften daß er das in teutschen und nach teutschen  
Rechts gewonheit durch seinen Fürsprecher thun und für-  
legen solte.

Et si itaque sub hoc Imperatore, jam tum recipi in fo-  
ro & curiis cœperit jus feudale Longobardicum, certum ta-  
men est, non aliâ ratione id factum, quàm quomodo Jus  
Justinianicum ipsum. At verò constat non ex asse id factum,  
neque ita ut jus comüne patrium, quod tot seculis jam tum  
viguerat, per id oblitteretur & aboleatur, sed imò ut salvo  
jure patrio, scripto & non scripto, in supplementum veni-  
ret, sicut Juri Civili Romanorum Jus Prætoris honorari-  
um. Id quod de Jure Saxonico feudali non opus est proba-  
tione, quum sit notorium. Saxones enim *αὐτονομίας* suæ te-  
naciores aliis, suo jure adhuc uti, etsi jure communi in sub-  
sidium quoque, constat. De Alamannis certum est, eos iti-  
dem suo jure feudali, a Saxonico in quibusdam discrepan-  
te, minus tamen quàm à Longobardico, gaudere. Impres-  
sum illud est statim inventa typographicâ arte, unâ cum ju-  
re Provinciali Alamannico initio superioris seculi Argento-  
rati: postea à Meichsnero Assessore Cameræ Imperialis re-  
cusum & commendatum: quod & Goldastus exhibet.

Atque convenit cum hoc etiam Liber latinus *de Benefi-  
ciis*, quem M. Freherus possedit, & publici juris facere pro-  
misit in Comment. ad Constitutionem Caroli Crassi, vel  
potius Conradi Salici de Expeditione Romana, cujus ibi  
fragmenta quædam adducit cum Jure Feudali Saxonico &  
Alamannico convenientia.

Porrò quod ex hoc nativo Jure Feudali investituræ vete-  
res, & earum formulæ ac Jura derivatæ fuerint, appa-  
ret facilè utraque conferenti. Ex quo vix etiam dubitari po-  
terit, an quæstiones & causæ feudales ex ejusmodi investi-  
turis antiquis oriundæ, ex genuino fonte suo potius deci-  
dendæ

§. IV.

dendæ veniant, quàm ex jure peregrino Italico & Longobardico, in subsidium duntaxat recepto. Nec obstat, quod hæc jura in Academiis non soleant doceri. Id enim fit more haud bono, quo etiam multa alia in foro cognitu necessaria omitti solent in scholis proponi & animi non satis præparati dein ad fora trudi. In primis verò usus ejus juris cernitur in Controversiis Principum & Illustrium familiarum, quarum fundamenta atque rationes plerumque ex vetustis literarum documentis, investituris, juribus ac moribus patriis arcesuntur. Cujus rei Illustre exemplum nobis præbet hæc ipsa de investitura simultanea tractatio. Enim verò jus simultaneæ investituræ per jus feudale commune sive Longobardicum abrogatum non esse, ex Ordinatione Senatus Imperialis Aulici tit. III. constat: **In welchen geschlechtern und in denjenigen Reichs Kreyssen / da die simultanea investitura hergebracht und im gebrauch / dabey soll solche auch gehalten und derselben nachgelebet werden.** Quæ regula Juris Teutonico usque pro fundamento agendi rectè allegatur, & ab onere probandi relevat, donec contraria probatur observantia vel desuetudo. Atque quum hodiè hoc argumentum inter Illustres petitores hereditatis feudalis Lauenburgicæ acriter agitur, de eo deinceps ex libertate Academica, sine cujusquam præjudicio differamus.

CAP. IV.

DE SUCCESSIONE LAUENBURGICA.

§. I.  
Mors Ducis Lauenburgici.

successio  
controversia.

PRimò de facto videamus, postea de jure. Cum anno superiori octogesimo nono die xx. Septembris Julius Franciscus Dux Saxonie inferioris, Angriae & Westphaliae moreretur, Serenissimus ac Potentissimus Elector Saxonie superioris jure domus suae usus, possessionem apprehendit, & se ut successorem legitimum gessit, vi tum pacti successorii cum defuncto initi, tum literarum investituræ expectativæ Maximiliani I. Imp. Præter alios verò contradictores etiam Serenissimus Princeps Anhaltinus sese opposuit & successionem ex jure feudali communi prætendit, tanquam proximus Agnatus defuncti & descendens à Bernhardo Duce

Duce Saxoniae, communi stipite Ducum Lauenburgensium & Principum Anhaltinorum.

**A**Nte omnia hic praesupponitur, quod Bernhardus Dux Saxoniae de ducatu Saxoniae pro se & posteris suis investitus fuerit, de quo imprimis dispiciendum. Saxonia postquam a Carolo M. diuturno bello tandem in provinciam reducta atque Imperio Francorum adjecta fuerat, quaeque tum Germaniae pars, teste Eginhardo, non modica erat, & ad eam, quae Francis tum incolebatur, *latitudine dupla putata, cum longitudine & longitudine consimilis*: non per Duces fuit gubernata: Etsi enim post repetitos motus tandem Withimundus qui alias Witikindus dicitur, & Albion Duces Saxoniae, cum ferè omnibus incolis Saxoniae baptismi susceperant Sacramentum, ut ipse Carolus ad Offam Regem Merciorum an. 774. scribit: per illos tamen haud Saxonias administrari fecit, sed per Comites & Marchiones, ut patet ex Annalium Francorum vetustissimo & *αὐτόπλη* scriptore, Caroli M. & Ludovici Pii astronomo; atque tum in octo dioeceses Saxoniam divisa, Trutmannum Virum Illustrem ibidem Comitem ordinavit & Advocatum omnium Presbyterorum in tota Saxonia ut videre est ex praecepto Caroli pro Trutmanno Comite an. 778. & Capitulari subjecto *de Partibus Saxoniae*, quo non Dux aliquis Saxoniae, sed missus Imperatoris publicos conventus agere jus habuit, cap. ult. *Interdiximus ut omnes Saxones generaliter conventus publicos nec faciant, nisi forte Missus noster de verbo nostro eos congregare fecerit. sed unus quisque Comes in suo Ministerio placita & justitias faciat. Et hoc a Sacerdotibus consideretur, ne aliter faciat.* Unde illud obiter observes, hunc Trutmannum potius primum Comitem Palatinum Saxoniae fuisse quam Albionem praedictum, quem Fabricius tamen *lib. 1. Orig. Sax.* primum fuisse tradit: nisi fortassis *honorarium* dixeris, & in memoriam pristinae dignitatis ducalis: quam etiam honorariam Witikindus retinuit.

**N**ec perperam igitur Adamus Bremensis *lib. 2. c. 4.* imperante Henrico IV. & Helmoldus sub Friderico I. *L. I. c. 10.* nec non Albertus Stadenensis sub Frid. II. ad *an. 691.* tradiderunt, a Carolo M. temporibus usque ad Ottonem M. Saxoniam.

§. II.  
Ducatus  
Sax.  
origo.

§. III.  
R. dub.

Longo  
t, quod  
fit more  
ecessaria  
eparati  
nitur in  
quarum  
rerarum  
is arces-  
hac ipsa  
imulta-  
obardi-  
mperia-  
D in deus  
ura her-  
ehalten  
is Teu-  
tur, &  
tur ob-  
rumen-  
tenbur-  
ademi-

A.  
nno su-  
is Fran-  
liae mo-  
niae su-  
hendit,  
accessio-  
specta-  
dictores  
osuit &  
nquam  
nhardo  
Duce

niam propter veteres illius gentis seditiones, nondum ducem accepisse nisi Casarem. Quod & Crantzius omninò approbat L. 2. Sax. c. 25. 29. 32. L. 3. c. 1. & L. 4. c. 8. 9. 15. 16. 27. Quos omnes erroris & sphaematis historici accusare, religio est. Neq; officit quod Meibomius demonstraverit Saxoniam etiam ante Hermannum Billingium suos habuisse Duces: id verum utique est, & evincit hoc Wicbertus Witikindi Ducis filius, *Albert. Stad. ad an. 917.* ejusque filius Walbertus atque nepos Ludolfus, quos *Duces Saxonie Christianissimos* laudat idem Albert. Stadenfis *ad an. 1024.* Et Gobelinus Porfena *Cosmodromii Aet. VI. c. 24.* scribit: *Ipsè Luithdolphus dux Saxonie descenderat de stirpe Witikindi Ducis Saxonie, qui tempore Caroli M. fidem Christi susceperat.* Idem Albertus, & ante ipsum Sigebertus Gemblacensis, qui *an. 1112.* obiit, *ad an. 860.* testatur, Ludolfi illius filium fuisse Brunonem Brunonis vici conditorem & Ottonem de Brunsviga Ducem, nepotem verò ex hoc Henricum Aucupem, qui modò *Comes Saxonie*, modò *Dux Saxonie* appellatur, Imperator postea electus pater Ottonis M. Imp. & Henrici Ducis Saxonie & Bavarie: ex cujus posteris Ottoni Ducatum Bavarie Henricus IV. Imp. abjudicavit, de quo postea.

§. IV.  
R. dec.  
Dux Sax.  
alius univ.  
alias honorar.

Verum enim verò haud confundendus est Dux Saxonie universalis, Vicarius Imperatoris cum Duce Saxonie honorario, qualis erat Witikindus. Nimirum *Ducis* appellatio ut multiplicis est significationis, de qua videnda diatriba Speelmanni Glossario suo inserta: ita tum temporis duplex in primis fuit, una *officium & vicariatum* per provinciam universam denotabat, altera *dignitatem feudalem* honorariam, ad partem provincie restrictam, quæ sub se unum vel alium Comitem contineret. Posterioris generis Ducatus titulus Witikindo, in fide perseveranti a Carolo M. concessus fuit, atque ad posteros continuatus, inhærens veteri patrimonio & terræ Witikindeæ ex parte. Meibom. in *Vindic. Billing.* *Post tempora Caroli M. apud Saxones cum imperio fuere, non Præsidentis titulo, sed jure hereditario, Witichindi ultimi R. & I. Ducis Sax. posteris.* Titulus tamen ducum ad posteros vix transmissus videtur, *Cranz L. 2. c. 25.* Itaque quum dux Saxonie Hermannus constitueretur, ab Ottone M. rediit Bruno nepos

pos Ottonis ex fratre Henrico duce Bavariæ, & in Saxonia parte dittonis accepta, Merverode & Hogeworde, Marchionis titulum obtinuit & vetera arma Saxonix, candidum equum, *Cranz Lib. 4. Sax. 27.* Insigne itaque ducatus Saxonici non fuit equus, sed laurii coloris Leo in albo interjectis maculis per campum, *idem cap. xv.* sed de Ducatu Witikindeo hic non est quæstio, verum de prioris generis Ducatu, qui etiam *Præsidentatus* nomine quandoque venit, & *Vicariatus*; & Latinius Præfecturam Prætorianam dixeris. Ita enim Adamus & ex eo Helmoldus: *Post hæc autem cum Rex victoriosissimus Otto, ad liberandam sedem Apostolicam vocaretur in Italiam, consilium habuit, quem post se VICARILIM Potestatis relinqueret ad faciendam justitiam in his partibus, quæ barbaris confines sunt terminis. Nondum enim post tempora Caroli propter veteres illius gentis seditiones, Saxonia ducem acceperat, nisi Casarem. Ne ergo in Regis absentia Dani, sive Sclavi novi aliquid molirentur, Rex necessitate persuasus, HERMANNO PRIMUM TUTELÆ VICEM IN SAXONIA commisit. Et mox: Igitur tali viro piissimus Rex vicem suam in hac regione commendans, in Italiam discessit. De hoc Hermanno Albertus Stadenfis in stemmate Billingiano pag. 277. ait: Iste Hermannus Ottonis M. temporibus in Ducatu invaluit, a quo cum adhuc juvenis esset, COMMISSIONEM TERRÆ accepit, & pater ejus Bulling vocabatur. Quas Helmoldus partes vocat, & Albertus terram, intelligi debet de tota Saxonia, ita enim & Carolus de partibus Saxonix Kapitulare edidit: neququam verò de parte Saxonix aquilonari tantum, ad quam quippe tractus ubi Witteberga postea condita metropolis, haud unquam pertinuit, pertinuit autem ad Hermanni Ducatum. Qui Ducatus ab initio fuit talis, quales sub Ottonibus fuisse docet Nicolaus de Cusa Cardinalis *Lib. 3. de Concord. Cathol. c. 28. pr.* ait: Ordinabatur etiam tunc, ut Principes, Duces & Comites constituti, deberent tanquam Officia publica Imperiali iussione habentes ad nutum removibilia, rationem sui ministerii arario publico reddere. Hoc modo verum est eundem Ottonem Ottoni fratri contulisse Ducatum Lotharingix, non ut Northofius, referente Meibomio ad *Witichind. pag. 681.* tradit, ipsi suisque successoribus & AEpiscopis in perpetuum, sed ut Gubernatori, quemadmodum rectè *Cranz. lib. IV,**

accepisse  
Sax. c. 25.  
& spha-  
lmod Mei-  
nnū Bil-  
& evincit  
ad. ad an.  
us, quos  
denfis ad  
. 24. scri-  
Witekindi  
at. Idem  
, qui an.  
um fuisse  
Brunsvi-  
em, qui  
Impera-  
ci Ducis  
tum Ba-  
Saxonix  
Saxonix  
is appel-  
nda dia-  
emporis  
rovinci-  
honora-  
num vel  
tus titu-  
oncessus  
ri patri-  
Vindic.  
vere, non  
R. & I.  
xtrans-  
Saxonix  
uno ne-  
pos

lib. iv. Sax. c. xiii, rem expressit. In hanc sententiam Theodorici, à Niemi Episc. Verdenfis Nemor. Union. Tr. vi. c. 33. pag. 486. ait: *In antiqua Saxonia, quæ nunc Westphalia appellatur, PRÆSIDATUS & omnia jura Imperialia ibidem antiquis temporibus pro custodia pacis deputata, per vicinos dominos spirituales & temporales usurpata &c.* Atque in Legibus Germanorum vocantur **die Fürsten ambachte** / de quibus J. Feud. Alam. cap. cXLII. & Provinc. cap. clvii. Jus Sax. Prov. lib. 3. art. LVIII. Inter quæ præcipua fuerunt quatuor Ducatus totidemque Palatinatus Regni Germanici, Ducatus Bavarix, Franconix, Alemannix & Saxonix. Jus Alemann. Provinciale cap. cXLIV. **In Deutschen Landen hat jeglich Land sein Pfaltz-Graven: Sachsen hat einen: Bairen hat einen / Schwaben hat einen: Francken hat einen: Diese vier Land wern hievor Konigreich.** Conf. Jus Sax. Prov. Lib. III. art. LIII.

§. V.  
Ducatus  
Sax. pro-  
gressus,  
i.  
Billung.

**H**ermannus itaque Billingius primus fuit, in quo Ducatus Saxonix, cui Vicariatus Imperii est annexus post Carolum M. sub Ottone M. primordia cepit. Is ab Ottone M. subiectus in ducalem honorem ditionem Luneburgensem accepisse traditur à Cranzio *Lib. ult. Sax. c. ult.* idque arma ejus ditionis demonstrare. Hermannus successit Benno Dux Saxonix, qui mortuus anno regni Henrici Sancti Imp. decimo, ejus Principatus hæres factus est Bernhardus filius, qui *Henrico Imp. rebellare ausus, totam suam ad rebellandum Cesari movit Saxoniam:* ut tradit Adam. Brem. t. 2. c. xxxiii. & Helmold. i. 16. 3. Mortuo Bernhardo, *hereditatem ejus Ordulfus & Hermannus filii ejus inter se partiti sunt; Et quidem Ordulfus ducatum suscepit gubernandum,* ait idem Helmold. i. 22. 6. Hermannus verò Comes venit Adamo Brem. L. iv. c. i. & Alberto Stadenfi *ad an. 1066. & 1075.* quo ab Henrico IV. captus fuit. Defuncto Ordulpho successit in Principatum filius ejus Magnus, *idem i. 25. 5.* Mortuo Magno, Saxonix duce, dedit Henricus V. an. 1106. Ducatum Ludero Comiti, *ed quod Magnus non haberet filium sed filias* (ait Helmold. i. 35. i. ubi nulla agnatorum mentio) & gubernavit cum modestia tam Slavos quàm Saxones. Ecce universalitatem hujus ducatus! Porro Lude-

ii.  
Supplinb.



Luderus live Lotharius ille erat Comes de Supplinburg, qui Imperator an. 1126. electus, ordinatis rebus tam Slavorum, quam Saxonum, dedit ducatum Saxoniae Henrico Leoni genero suo, Duci Bavariae, an. 1136. *qui erat filius filiae Ducis Magni, Wulfildis, & ducis Bavariae Catuli, ait Albertus Staden- denfis. conf. Helmold. 1:35.* At habuerat Magnus duas filias, Eilikam & Wulfildin: Elika erat uxor Ottonis Comitis de Ballenstete, quae genuit ei Adelbertum, cognomento Ursum, Marchionem Brandeb. hic Adelbertus matrueli suo Henrico litem movit de Ducatu Saxoniae, mortuo Lothario Imp. cujus Successor Conradus III. Imp. Adelberto favebat, perhibens, *injustum esse, quemquam Principum duos tenere ducatus.* Orto hinc bello intestino, mortuus Henricus est, obtinuitque filius ejus *Henricus Leo* puer adhuc infantulus ducatum Saxoniae, & per transactionem & in recompensationem accepit Razesburg & terram Polaborum, *Helmold. l. 1. c. 56.* recuperato etiam ducatu Bavariae per Fridericum Imp. *Helmold. l. 1. c. 84, 3.*

III.  
Bavar.

Tandem verò cum hujus ducis potentia in summum crevisset, ut Princeps Principum terrae idem Helmoldo L. 2. c. 6, 6. dicatur, & possedisse praeter haereditatem progenitorum Lotharii Caesaris, & conjugis ejus Richenzen, multorumque Ducum Bavariae atque Saxoniae etiam aliorum Principum possessiones, Heremanni de Winzeburg, Sifridi de Hammenburg, Ottonis de Asle & aliorum, quaedam quidem *haereditario* jure, quaedam *beneficiali*, tandem inquam, invidia Principum excitata etiam in Imperatoris Friderici ingrati- am, quod expeditionis Longobardicae socium se in persona propria venire posse pernegaret, *Arnold. c. xv. 3.* incidit, atque a reduce ter citatus ad causam in Comitibus ad querimonias Principum dicendam, non compa-rens, ex sententia Procerum ab Imperatore in quarta Curia omni honore destitutus, publice proscriptus, & ducatu & omnibus beneficiis privatus: atque Bernhardus Comes de Anhalt pro eo Dux constitutus fuit, & bona ejus publicata: *idem c. xxiv. 7. 8.* Albertus Staden- s A. d. 1180. Imp. Wirce- burg curiam habens in natali Domini, Henrico Duci abjudicavit omne fœdum,

§. VI.

IV.  
Anhalt.

Theo-  
33. pag.  
pellatur,  
temporibus  
ocantur  
CXLI.  
I. Inter  
Palati-  
coniae.  
le cap.  
n Pba  
einen/  
er Land  
Lib. III.

Duca-  
us post  
Otto-  
nebur-  
idque  
Benno  
ti Imp.  
us fili-  
um Ca-  
xiii. &  
ejus Or-  
Ordulfus  
Her-  
Alber-  
captus  
n filius  
e duce,  
niti, ed  
. i. ubi  
m Slavo  
Porro  
Lude-

*ſædum quod ab Imperio tenuit vel Archiepiscopis vel Episcopis. Bernhardus Comes de Anhold suscepit Ducatum Saxonia, & Philippus Colon. Ducatum Westphalia. Hoc tamen postea circa ipsum dispensatum est, ut PATRIMONIUM suum ubicunque terrarum fuisset, sine omni contradictione liberrimè possideret, idem cap. ult. 7. Denique Bernhardus Dux qui Principatum obtinere videbatur, segniter agebat, & cum prius in Comitia positus strenuissimus fratrum suorum fuisset, ad ducatum promotus, non ut verus Princeps proficiebat, sed ut super positus degenerabat, & quasi pacificum se exhibens, in omnibus tardus erat, Unde nec ab Imperio juxta statum prioris est honoratus, nec a Principibus vel terræ nobilioribus est reputatus, ait idem lib. 3. c. 1. 2. Comites tamen de Racedburg, de Danneberg, de Luchowe, & de Suerin receptis ab eo beneficiis suis hominum ei fecerant, & ipse tum cœpit ædificare Lauenburg: idem ibidem.*

§. VII.

**A**Nno 1185. Dux Henricus reversus Brunswigam est, contentus patrimonio suo, quod tamen ex magna parte à multis violenter occupatum fuerat, *idem L. 3. c. XII. 3.* nec tamen absque lite Bernhardum in Ducatus possessione permittit: qua de controversia Imperator cogniturus, evocavit eum Goslariam ad curiam generalem, ut pacem inter ipsos aliqua conditione juxta decreta Principum reformaret: Henrico trium optione data, ut aut dispensationem in particulari quadam restitutione pristini honoris pateretur, aut secum peregrinatum in expensa Imperatoris iret, postea plenariè restituendus, aut terram per triennium, tam pro se quam pro filio suo æquivoco abjuraret. Dux verò magis elegit terram exire, quam vel ire quo non vellet, vel honore pristino ullâ diminutione mutilari, *Item L. 3. c. 28. ff.* At reversus Henricus deditioe cepit inter alia etiam Lauenburg castrum ducis Bernhardi; sed mox receptus in gratiam est ab Imp. Henrico VI. his conditionibus: ut muros Brunswig in quatuor partibus deponeret, castrum Lauenburg dirueret, Lubecam verò civitatem dono Regis dimidiam haberet, dimidietatem alteram Comes Adolfus cum omni terra sua quietè possideret. Dux autem nec Lauenburg



burg destruxit, nec dimidietatem civitatis, sicut promiserat Adolfo restituit. *Idem L. IV. c. 2. & 3.* Mortuo Henrico, etiam Bernhardus obiit, cujus junior filius Albertus Ducatum, senior verò Henricus Comitatum accepit, *Alb. Stad. an. 1211. Kranzius l. ix. Sax. c. XIX.* qui porrò ad ann. 1226. scribit: *Domini Nordalbingia Albertum Saxonie Ducem vocarunt, eique Rasesburg & Lubike tradiderunt.* Tandem & Castrum Lauenburg pro Comitibus Alberti liberatione Alberto Duci redditum, *idem ad ann. 1227.* transactione inter Albertum & Ottonem facta de qua *Cranzius lib. VIII. Sax. c. 28.* Henrici verò filius Wilhelmus in hæreditate Saxonica successit, sub titulo *Domini*, cujus filius Otto an. 1235. in curia Moguntia celebrata, *resignavit Brunsvich & Lunenburg & omnem hæreditatem suam Imperio, & Imperator Brunsvicense dominium in ducatum mutavit, & duci porrexerit*, eodem referente. *Literarum investituræ Ottoni tunc datarum meminit Hortled. L. IV. c. 23, 28. si.*

**D**Enique Alberto VI. duce Sax. Anhaltino sine filiis mortuo an. 1421. ducatus Saxonie ad Marchiones Misnie in Friderico Bellicoso ab Imp. Sigismundo translatus fuit. §. VIII.  
V.  
Misner. Prætenderunt tunc successionem jure sanguinis & domus Palatina ad Rhenum, & Brandenburgica, Electorales: sed his remotis acrius instabat Ericus Dux Lauenburgicus a Bernhardo & Alberto filio ducibus Saxonie descendens. cujus Alberti filii, Albertus II. & Johannes, ita divisionem staternam instituerant, ut Alberto Ducatus Saxonie cum Vicariatu & Electoratu cesserit, Johanni verò *Lauenburgum* sub ducatus titulo. Ericus hic præter Agnationis jura etiam Investituram expectativam Imperatoris allegabat: sed objiciebatur: jam tum Rudolphum & Albertum Duces, non tam agnationis jus, quam successionis feudalis & investituræ simultaneæ, denegantes, noluisse simul manum admoveere vexillo Ducali in investitura ejus: ipsum verò Ericum unico suo vexillo Lauenburgico investitum fuisse, literas expectativæ ab Aulicis in favorem Erici corruptas fuisse. *Vide Hortleder. de Caus. B. G. L. 4. c. 23, 43.* Chronicon Saxonicum ad an. 1422. ita de eo, relata ejus morte: *So dat dar neyn arven van den tven Broderen weren / so ane mate de*

matede ſick dat lant to Saffen Keyſer Sigismunds. Wol dat noch eyn arve to Louenborch was / Hertoge Ercke to Saffen dr Broder. Dem wart de Korforſtendom genommen und daraff geweddet mit Gelde : ſo dat ſe den Namen kregen und hetten de Hertogen van der Louenborch / unde quemen ſo van dem Lande Oueren Saffen. i. e. Cum ergo nulli hæredes à duobus fratribus eſſent, recepit Saxoniam Imp. Sigismundus : quanquam unus adhuc hæres Lauenburgi erat, Dux Ericus Saxoniae illorum frater : cui Electoratus auferebatur, & compensabatur pecuniâ; ita ut hi nominarentur Duces de Lauenburg, ſemoti a Saxonia ſuperiore. Quod de pecunia hic dicitur vid. Hortled. L. IV. c. 9, 113. Neque verò Ericus acquieuit, nec ejus poſteritas, ſed & titulum & inſignia uſurparunt, atque ipſe Ericus Fridericum II. Electorem ad Concilium Baſilienſe de hac controverſia trahere niſus, cui ſeſe Imperator oppoſuit ob incompetenſiam fori & ob rem ferè per biennium cognitam ab Electorali Collegio, atque judicatam tandem, porrò etiam Parium Curiae arbitrio promiſſo : extat Edictum Ulmæ publicatum in Comitibus an. 1434. apud Goldaſt. Conſtit. Imp. T. 3. Anno 1507. hanc litem Maximilianus Imp. per pactum de ſucceſſione mutua inter domum Saxoniam & Lauenburgicam ſopire laboravit, atque etſi pactum tale non conficeretur, conceſſit tamen investituram in caſum deficientium heredum maſculorum feudalium in domo Lauenburgica: cui investituræ acceſſit confirmatio Imperatoris renovata anno 1660. & 1687. & pactum ſucceſſorium an. 1671. ab Imp. confirmatum. Hæc de origine & progreſſu ducatus Saxoniae breviter fuerunt præmittenda, quia facem adferunt ſequenti diſquiſitioni.

§. IX.  
Qu. I.  
Neg. I.

**D**iximus, ante omnia hic videndum eſſe, Bernhardus Dux Saxoniae an & quomodo de Ducatu hoc investitus fuerit? Qua in re etiam ad antecellores reſpiciendum. Atque de primo Duce Billingi filio Cranz. lib. 4. c. xv. *Hermannum antea Praefectum (ſub expeditione Ottonis prima) inferioris Saxoniae partium conſtitutum, cum illum probe omnia adminiſtraſſe comprobaret, DUCALI inſignitum HONORE provexit, ut ſedeat cum Principibus*

*cipibus &c. H. Meibomius in Vindic. Billing. ait: Otto M. Herman-*  
*no Billingi filio, uni ex ministris aulicis, primùm tanquam LEGATO*  
*gubernandam, deinde ceu peculium possidendam, atque ad heredes*  
*transmittendam concessit. Legatum vocat & peculium, Roma-*  
*no ore, qui Germanis Landrichter / Landvogt / Vicarius,*  
*Præses, Gubernator, & illud Feudum dici consuevit: rectè itaq;*  
*ait, primò Hermannum non statim fuisse investitum de Ducatu,*  
*sed quemadmodum Albertus Stadenfis modò loquebatur,*  
*Commissionem terræ accepit: & Helmoldus: Hermannò primùm Tu-*  
*tela vicem in Saxonia commisit. item: Rex vicem suam in hac regione*  
*commendans. Non absimile est, quod de Lothario Duce in*  
*altera Saxonum dynastia idem Helmoldus dicebat: governa-*  
*vit tam Slavos quàm Saxones. at de utrisque investitum fuisse,*  
*verisimile neutiquam est. Eodem modo se res habuit cum*  
*Bernhardo, eoque magis quod antecessor adhuc vivebat,*  
*& possessionem inquietabat. Namque & ipse Imperator*  
*redditurus erat Ducatum plenè, si condiciones supra dictas*  
*impleret: at jus feudale non patitur vasallo investito feu-*  
*dum sine sua culpa auferre iterum. Accedit quod Bernhar-*  
*dus, qui Principatum obtinere videbatur voto Imperatoris atque*  
*statuum non respondens, ab Imperio juxta statum prioris non ho-*  
*noratus, nec à Principibus vel terræ nobilioribus reputatus dicitur Ar-*  
*noldo l. 3. c. 1. 2. Kranzius lib. ix. Sax. c. xix. ait: Tanta tum fuit*  
*conflictatio de Ducatu Saxoniae per Henrici Leonis posteritatem, ut mallet*  
*Henricus senior (frater Bernhardi) quietum Comitatum, quàm per-*  
*turbatum Ducatum: & erat ab initio instituti Bernhardi Ducatus iste ma-*  
*ior nomine, quàm ipsa re. Nam potiores ejus Ducatus partes Henricus*  
*Leo sibi retinuit &c. Nec parum momenti adfert huic rei vetus*  
*Chronicon Saxonicum Moguntiaë ann. 1492. impressum,*  
*Bernhardum tantum Comitem agnoscens & filium demum*  
*Ducem. Ita enim habet ad ann. 1190. Greve Bernd van*  
*Anhalt / unde van de Wolp Marggreve / Ulberdes sone to*  
*Brandeborch Marggreven / Otten broder to Brande-*  
*borch / so hyr bevoren rede beroret is: dat Otto wart ein*  
*Marggreve to Brandeborch / unde Bernd ein greve van*  
*Anhalt. De nam Judittam des Könighes Woldemars*  
*Suster to Deunemarche: de telde om twey sone. De eyne*  
*de het*

2.

3.

s. Wol  
 Greve to  
 genom.  
 Namem  
 / unde  
 im ergo  
 axoniam  
 s Lauen-  
 i Electo-  
 ut hi no-  
 a superi-  
 7. 6. 9, 113.  
 sed & ti-  
 dericum  
 troversia  
 mpeten-  
 o Electo-  
 am Pari-  
 publica-  
 3. Anno  
 e succes-  
 urgicam  
 ceretur,  
 um here-  
 a: cui in-  
 ata anno  
 np, con-  
 Saxonie  
 sequen-  
 dus Dux  
 itus fue-  
 . Atque  
 rmannum  
 erioris Sa-  
 rasse com-  
 cum Prin-  
 cipibus

De het Albrecht / De wart ein Herzoge to Sassen. De ander  
 De heit Hinrick de bleyff ein Greve to Anhalt. So dat van  
 dussen tweyen Broderen quemen twey der Slechte de  
 Hertogen to Sassen: unde de Greven van Anhalt. i. e. Co-  
 mes Bernhardus de Anhalt & de Wolpe Marchio, Alberti Marchionis  
 Brandenburgici filius, frater Ottonis Marchionis de Brandenburg, de quo  
 supra mentio facta: hic Otto factus Marchio Brandenburgensis: & Bern-  
 hardus Comes de Anhalt, qui duxit Juditham Regis Danie Woldemari  
 Sororem, qua procreavit ipsi duos filios, Albertum qui siebat Dux Sa-  
 xonia: & Henricum qui mansit Comes de Anhalt. Itaque de his duobus  
 Fratribus due Familia oriuntur Ducum Saxonie & Comitum de Anhalt.

5. Denique per transactionem inter Bernhardi filium Alber-  
 tum & Ottonem Brunsvicensem Henrici Leonis filium an.  
 1235. factam, Albertus demum in quietam Ducatus posses-  
 sionem venit; & sicut Otto de novo Ducatu Brunsvicensi  
 investitus fuit tum, ita & Albertus de Ducatu Saxonie  
 utriusque.

§. X.  
 An frater  
 simult.  
 investitus.  
 N.

**R**emota itaque isthac hypothesi Bernhardum de Ducatu  
 fuisse investitum, consequens est, Alberti fratrem,  
 Henricum Comitem de Anhalt, jus successionis in Ducatu  
 nullum habuisse, ut in feudo novo, nisi probetur investi-  
 tura ejus simultanea: idque omni jure, tam Saxonico quam  
 Alamannico & Longobardico; nec ullo eorum cognita est  
 differentia inter feuda Regalia & nec regalia haftenus, sed  
 in neutris successio sanguinis locum obtinet, sed pactitia,  
 quod cum sit omnibus notum, allegatione jurium operæ  
 non est pretium. Unde etiam nihil ad rem facit, quod Hen-  
 ricus, a quo Comites Anhaltini hodieque descendunt, fue-  
 rit frater Alberti, & filius Bernhardi, exinde non proba-  
 tur, feudum hoc regale respectu Comitum & Principum  
 Anhaltinorum fuisse feudum antiquum, sed utique fuit  
 novum & Albertus de eo primum investitus, in quo igitur  
 collaterales ex fratre descendentes jus succedendi de jure  
 feudali nullum habent. Henricum porro de Ducatu non  
 fuisse simultaneè investitum, facile & inde constat, quod ti-  
 tulo & insignibus Ducatus Ruteo crinali, ut loquitur Cran-  
 zius L. 8. Saxon. c. 28. non fuit usus, & maluit quietum Co-  
 mitatum,

mitatum, quàm perturbatum Ducatum, *idem* ix. 19. sed Comitis dignitate atque clypeo mansit contentus, ut ait Chronicon laudatum: qui enim de Ducatu simul investitur, & vexillum Ducale conjunctâ manu apprehendere permittitur, is eo ipso condominium utile unâ cum possessore acquirat, ut supra fuit dictum, & ex natura simultaneæ investituræ per se manifestum est.

CAP. V.

QUO JURE UTANTUR PRINCIPES ET STATUS IMPERII IN SAXONIA.

Excussa facti veritate, delabimur ad quæstionem juris. Posita enim illâ, & quod nulla Investitura simultanea facta, multò minus subinde renovata fuerit inter Duces & Comites Principesve stemmatis Anhaltini: adhuc tamen prætenditur successio ex mero sanguinis jure, idque secundum jus feudale commune, quod vocant, h. e. Longobardicum, de quo supra *cap. ii. §. ult.* Etsi enim Saxones jure Saxonico hodieque utantur, id tamen ad causas privatorum pertinere, cæterum in Principum ac Dominorum controversiis secundum jus Commune pronunciari debere. De qua sententia nunc videamus. Atque supra jam tum ex certis & indubitatis fundamentis demonstratum fuit, Jus feudale Longobardicum sub specie alicujus juris communis ita quidem admissum tandem fuisse in Imperio, ut tamen in plerisque familiis Principum, etiam in Alamannia *jus simultanea investitura* cum aliis juris proprii articulis retentum fuerit, approbante quoque & Senatui suo Aulico hoc inculcante Imperatore, *cap. 2. §. 2. & c. iii. §. ult.* Nec immeritò, quum totum jus Saxonicum, ut & cæterarum Provinciarum Imperii jura, non tantum subditos & privatos, sed & ipsos Dominos ac Principes utique obligent. Tractavit hoc argumentum curatè auctor libelli, qui inscribitur: *Reginæ Christianissimæ jura in ducatum Brabantia & alias ditiones Hispanici Principatus pag. 188. & in Observ. adversus responsum Hispan. p. 20. sq.* ubi in genere defendit: *Principum successiones secundum jus & consuetudinem provincia, in qua succeditur, fieri debere.*

§. I.  
Qu. II.  
Invest. simult. an obtineat inter Princip. Sax.

Aff.

I.

2.

D

Specia-

e ander  
at van  
echte de  
e. Co-  
archionis  
de quo  
& Bern-  
oldema-  
Dux Sa-  
is duobus  
Anhalt.  
Alber-  
um an.  
possef-  
svicensi  
axoniæ  
Ducatu  
atrem,  
Ducatu  
investi-  
o quam  
nita est  
us, sed  
actitia,  
operæ  
d Hen-  
nt, fue-  
proba-  
ncipum  
ue fuit  
igitur  
de jure  
tu non  
od ti-  
Gran-  
m Co-  
tatum,



- §. II. **S**peciatiim verò quod *Saxoniam* spectat, egit hac de re Ant. Colerus *dissert. de Jure Imp. Germ.* §. 63. Knichen de *Vestit. pact.* 6. 1. Klock. T. III. *Consil.* 145. Joh. Wilh. Itterus de *Feud. Imp.* c. 2, 2. & c. x. 9. Atque si jus Saxonicum inspicimus, atque ea quæ de clypeis militaribus, deque personarum ordine quæ juri huic subjiciantur, & non nisi si Princeps quis Saxonicus in Imperatorem electus fuerit, eo jure eximatur, & Jure Francico uti censeatur, consideramus, vide Jus Sax. Provinc. L. III. Art. LIV. Gloss. Jur. Sax. feud. c. IV. n. 18. J. Alem. Prov. cap. CXLVIII. certè quæ fuerit ratio obligandi, satis apertè patet, quod ad privatos non tantum pertineat, sed imò ad Proceres maximè. Idque etiam ab omni ævo ita observatum fuisse, nemo antiquitatis patriæ peritus negabit. Idem Carolus IV. in Aurea Bulla confirmavit, de Vicariis Imperii sanciens, Ducem seu Electorem Saxonie S. I. Mareschallum Vicariatus jure gaudere in illis locis ubi Saxonica jura servantur cap. v. nullo discrimine adhibito inter Principes in Saxonia & eorum subditos; sed potius ad Principes ipsos respectus hic habitus. Certè tantum abest, ut Principes Imperii, in primis Saxones *αὐτονομίας* tenaciores aliis, a jure patrio se immunes censuerint, ut magno nisu potius receptioni juris Romani restiterint aliquando, ut patet ex Reformationis libello ad Fredericum III. Imp. relato & in Comitibus Moguntinis ann. 1441. proposito, vid. Goldast. P. I. *Reichsfaq* pag. 166. & 312. Conring. de O. J. *Germ.* c. 32. qui etsi non valet in vim legis, habet tamen vim contradictionis publicæ, cujus effectus is saltem fuit, ut Principes suam *αὐτονομίαν* manutenerent in causis maximè ipsorum Principum. Eoque facit decretum Sigismundi Imp. supra allegatum, cap. III. §. 3.
- §. III. **R**ecepto porrò jure peregrino è Lombardia, nihilominus & Camera Imperialis & Senatus Aulici Præsidibus atque Assessoribus ab Imperatore atque Ordinibus inculcatum, uti secundum jus Commune Germaniæ & cujusque Provinciæ proprium causæ determinarentur. Ubi certè per *jus commune* secundum veterem loquendi morem non Jus Romanum nondum receptum in Germania intelligendum

dum est, sed quo tum haftenus communiter usi fuerant Saxones & Alamanni, atque praeterea etiam cujusque nationis propria Jura. Id quod omnium etiam Dd. calculo probatur, quod ante omnia ex cujusque provinciae & territorii jure proprio, tum civili, tum maximè feudali judicandum sit. Quod quantum ad simultaneam investituram expressè etiam ordinatio Senatus Aulici sancivit: & Sigismundus Imp. in causa Erici Ducis Lauenburgici eandem, ut necessarium requisitum disertè desideravit, ut supra visum, non ut subtilitatem juridicam. Profert etiam hanc in rem antea laudatus Colerus transactionem domus Saxonicae anni 1554. auctoritate Imperatoria confirmatam: **Das da ein Artikel vorfiel der sich umb die Sächssische Rechte in der Hauptsache ziehen thäte / daß darin dem Sächssischen Rechte nachgesprochen werden solte.** Atque in pacto divulorio Electoris Joh. Ftiderici atque Fratris Joh. Ernesti ann. 1542. expressè secundum Jus Saxonicum ita conventum: **Da unsere Vettern Herzog Moriz und Herzog Augustus zu Sachsen auch der Landgraff zu Hessen und J. Eden Erben und Nachkommen ihren Lehenen folge thun / so offt solches beschiehet / so sollen und wollen wir mit Ihren Eden und ihren Erben zu der gesamten Lebenschaft nicht allein vor uns und unsere Erben / sondern auch vor unsers Bruders und S. Eden Erben wegen mit angreifen, und solches in den gesamnten Lehnbriefen clärlich gesetzt werden.** Fride-ricus Wilhelmus Dux Saxoniae Altenburgensis in Codicillis an. 1668. **So hätte zwahr uns als hinderbliebenen Fürstl. Marito frey und bevor gestanden / nechst der Baarschaft und aussenstehenden schuldforderungen / auch die ansehnlich pretiosa, und ins gemein alle Mobilia, vermöge Sachsen Rechts / uns allein zu zueignen.** Quod si porrò Elector Saxoniae supremus Juris Saxonici Tutanus ac Interpres, se eo obligatum esse sentiat, quis quæso minores Saxoniae Principes ac status ab eo liberaverit? quum nemo sibi ipse privilegium dare queat.

**I**nter Principes Silesiae, etsi Austriacis subjecti, Imperator secundum Jus Saxonicum, quo Silesia ipsa utitur,

§. IV.

pronunciandum ratus: Quod ostendit Decretum Rudolphi II. Imp. quum confirmatio Tabularum nuptialium Friderici IV. Ducis Silesiæ Lignicensis & Sidoniæ Mariæ Ducis Teschinensis & pacti specialis, (ut dos sponsâ ante maritum sine liberis defunctâ, ad ejus patrem vel familiam rediret, non marito maneret, etsi hic dotalitium ipsi constituerit) peteretur, hoc pactum adjectum confirmare renuit, ut Juri Saxon. contrarium: Weil solche special convention nicht allein der Schlessischen constitution, sondern den üblichen Sächsischen Rechten / auch also dem bißhero jederzeit in den Schlessischen Fürstenthümern / under Fürsten und andern fürnehmnen Persohnen erhaltenen gebrauch zu wieder / wie dann auch Sie die Herzogen solcher constitution und Landes gebrauch undertworffen: Derowegen so hätten Ihre Mayest. dieses Puncts halber auff gehaltene nothwendige Erwegung der Sachen dahin resolvirt / daß es disfalls deß rückfalls halber / allerdings dem Landsbrauch nach / daß nehmlich derselb an Ihn den Herzog Friederich als Ehemann / auff solchen obgemeldten Fall komme und falle / gehalten werden solle. Atque cum inter eundem Fridericum & Dorotheam Johannis Ducis Holsatiæ & Slesvici filiam repetita esset petitio, nisi quod ususfr. tantum dotis marito-relictus: pariter ab Imp. & a Principe agnato, rejecta fuit. Henel. de dotalit. c. vi. §. 18. p. 157.

§. V.  
Exemptio  
à renovati-  
one quat.  
valeat.

Postquam igitur successio Anhaltina nec hac ratione procedere & Saxoniam reprimere possit, aliâ inceditur viâ, & privilegium speciale à renovatione investituræ simultaneæ allegatur. Atque posse dominium feudi à necessitate renovationis eximere, sine tertii tamen præjudicio, vix caret dubio: & exempta ita Elector Saxoniam vasallos Lusatiam. Verum enim verò præjudicialis quæstio adhuc est, an unquam simultanea investitura data fuerit Henrico Comiti de Anhalt ejusque descendens? quæ nunquam probari poterit. Quod cum posteritas animadverteret ac doleret, à sigismundo Imp. vel Friderico III. demum impetrarunt simultaneam aliquam investituram generalem: quam quum vix sufficere ad successionem Ducatus vererentur, expressè tandem



dem simultaneam investituram in Ducatu illo investituræ suæ literis inseri petierunt, sed quum illa inscio & non consentiente possessore, ut in causa Erici jam tum cognovimus, fieri non potuerit, decretum ab Imp. an. 1671. 10. Decembr. fuit: **Daß wie die Fürsten von Anhalt sich jederzeit mit der gemeinen mitbelehnenschaft derer Lande / so ihnen etwa von geblüths und rechtswegen zustehen / genugsam gesichert zu sein gehalten / also die Kayserl. Mayest. es auch nochmabls bey der alten Form bleiben lassen wollten / jedoch sollt solches männiglich / oder dem Hause Anhalt zu keinem præjudiz gereichen.**

*ADDEND.*

**A**D ea quæ Cap. III. & V. dicta sunt, facit etiam res judicata inter Fridericum Marchionem Brandenburgensem Electorem, & Duces Pomeraniæ de Ducatu Stetinensi; quum enim circa an. 1467. Otto Dux Stetinensis sine prole decesserat, Duces Pomeraniæ & Wolgastensis fratres, prætenderant quidem legitimam à sanguine successionem, ut refert Cranz. *lib. XII. Wandal. c. 32. & L. XIII. c. 2.* At judicatum fuit ab Imp. Friderico III. & Proceribus Imperii feudum apertum ad Imperatorem rediisse, atque investivit Imperator de eodem prædictum Electorem Brandenburgicum, datâ facultate possessionem à detentoribus occupandi.

QK ~~5~~ 5293

Voll.

MC.



ULB Halle

3

004 826 116





§. IV,  
Invest.  
divisio.

1.

2.

3.

4.

5.

**M**Axim  
tur, e  
jus reale &  
so. seqq. A  
Vasallorum  
Namque c  
uni vasallo  
citer, & a  
quæ poster  
catur. aut  
**hant** / qu  
alia symbo  
**schaftt.** Vi  
adhibita v  
Imp. & Inr  
fert Otto  
modi: nar  
possessione  
quoad fruc  
duplex, au  
viso. Pro  
specie Jus l  
**derm ein G**  
**und geliche**  
**und der B**  
**eime gute**  
similiter c.  
ex post fa  
fentit, qu  
**acceperit, no**  
**detinet.** Pro  
sione, sed  
de quo hab  
**paterno simu**  
**pertinet ejus b**  
plena cum  
possidet, u



cie cerni  
onstat, &  
roc. Civ. 3.  
m est, ex  
recipere.  
feudi aut  
ni simpli  
m fuerit:  
ung/vo-  
Besambte  
exilla vel  
itbelehn-  
Sta manu  
Lothario  
ucatur  
unius est  
aut cum  
ta, etiam  
a: prior  
it pro di-  
de qua  
diel Brus  
phoben/  
die Rint  
hant an  
Jus Sax.  
nent. Vel  
for con-  
vestituram  
niente qui  
cta divi-  
videntes,  
& non de  
terum non  
Minus  
unus ita  
eri præter  
condo-

